



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

V. Quia non solùm ipsa in tua gloriosissima Annuntiatione Deum recepisti:
sed etiam eundem mundo impendisti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

tum primum abiit Anno 1403. In Lusitania comparuit ex ebore imago B. Virginis dicta de Ademis à pastoribus reperta, & miraculis cœpit coruscare. *Gozzaga in hist. seraph. pag. 200.*

5. Quia non solum ipsa in tua gloriosissima Annuntiatione Deum recepisti: sed etiam eundem mundo impendisti.

Joannis 5. fuit Jerosolymis Piscina probatica inter porticus Salomonis templo vicina, in quam Angelus semel quot annis descendebat, & turbabat aquam, quo tempore, qui primus ægrotum in aquam descendit, sanabatur. *Petrus Blesensis* B. Virginem dixit Piscinam probaticam, ad quam Angelus descendit in Annuntiatione, & turbata est in sermone ejus. Quot in hac Piscina salvati! *Ex annal. Hannon. volum. 3. cap. 19. describo, quod sequitur.* In partibus Hannoniæ fuit Comes Golceguinus, qui egit sceleratissimam vitam: sed tandem omnibus abdicatis se inclussit monasterio, hanc gratiam consecutus propter hoc solum, quia quotidie verbis Angelicis Virginem salutabat. Theodoricus Comes prædicti Comitis cognatus, mirificè vexabat bona Monialium, vidit tandem duas Moniales orantes B. Virginem, ut à Filio impetraret mortem Theodorico, respondit S. Virgo id se orare non posse, cum uxor Theodorici quotidie sexaginta salutationes Angelicas recitet, sed nihilominus expectarent aliquantulum daturum Comitem poenas: interea facit Comes divortium cum sua uxore, & ecce cum venationi indulget, capitur ab hostibus, & occiditur. Hinc fortè S. *Ides. serm. 4. de Assumpt.* vocat Virginem magnam Misericordiam tuam, est magna Misericordia, quia ut *Bernard. serm. 4. de Assumpt.* totius mundi reparationem obtinuit, & salutem omnium impetravit. Christum nobis datum, & nos, & Angeli fontem beneficiorum, verum accepimus, ab illius autem consensu Incarnatio pendebat. *Tertius Guilielm. in 4. Cantic.* Deus misit Gabrielem ad B. Virginem, ut ei Mysterium Incarnationis, & Redemptionis panderet, atque ejus consentum flagitaret: nolebat enim Omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsa, insuper meruit illum de congruo, ut docent *Theologi.* Undè *Damasc. orat. 1. de Nativit.* ait dignam fuisse B. Virginem Filium habere Creatorem. Adhuc annum ætatis duodecimum agebat Virgo, cum promissum accepit se Matrem Dei olim futuram. *Verba in Mariali ex Cedreno affert hujusmodi Censura.* Ad annum ætatis suæ duodecimum Virgo Sacra pervenerat, cum mediâ nocte pijs precationibus incumbens vocem Divinitus ad se prolatam audivit: *Parvo Fili-*

Annus incognitus. Anno secundo post, Virgo egressa è templo, cum enim ad hanc ætatem
 venisset, visum est Sacerdotibus, ut est in historia *S. Hieronymo* adscripta, ut domum
 adulta reverteretur, & nuptijs secundum morem gentis, ac ætatis maturitatem
 operam daret, sed cum illis aperuisset, votum se castitatis fecisse, ait *Nissenus orat.*
de human. Christi gen. consilium inivisse, ut virum eligeret, qui esset illius custos,
 nam in nuptiam relinquere credebant esse contra leges, & quidè docet *S. Germanus*,
 quod B. Virgo Verbum Divinum conceperit in æde Nazarena, testata est ipsa per
 visum Alexandro Episcopo Ferfacensi. (*Tursell. hist. lib. 1. c. 3.* cum dixisset de sua
 æde, quæ nunc est Laureti:) Hic ego Archangeli Gabriëlis nuntio, Spiritus S.
 operâ, Divinam concepi Sobolem, hic Verbum caro factum: salutatione acceptâ
 post biduum vel triduum ad Elizabetham profecta est. *Orat. de Virg. obl.* Dei nutu
 & Sacerdotum consilio datam fuisse sortem. Et quidem *Cedrenus* explicat for-
 tem, dum ait duodenas Virginis affines vocatos, ac à singulis ramos arborum ac-
 ceptos in ara collocatos, ac Deo invocato, Josephi floruisse virgam, & Deum de
 propitiatorio dixisse, ut eum acciperent in virum, cuius virga floruisset. Hanc
 historiam admittunt *Castius*, & *Canisius*. Annulus sponsalitijs Virginis Perusij
 asseratur, alij alij alibi. Desponsatio contigit initio Decembris, postquam ac-
 cepit Joseph Virginem Nazarethum: quarto post mense id est 25. Martij Angelus
 ingressus ad Virginem per portâ instar hominis, linguâ Hebræâ allocutus Sap. 18.
Cum quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, quan-
quam S. Bonav. putat vespere. Alb. M. Marial. c. 10. mane. Bernard. hom. 4. super Missus.
 Expectat Angelus responsam, expectamus & nos ô Domina verbum miserationis,
 quos miserabiliter premit sententia damnationis. *Et paulo post.* Hoc supplicat à te
 pia Virgo, flebilis Adam. cum misera sobole sua, exul de paradiso, hoc Abraham,
 hoc David, hoc cæteri flagitant Patres SS. hoc totus mundus tuis genibus provo-
 latus expectat: ipse quoque omnium Rex, & Dominus quantum concupivit de-
 eorem tuam, tantum desiderat & responsionis assensum, & *August. serm. cit.* Fides
 tua modo (Virgo) aut aperit cælum, aut claudit. *S. Thom. 3. p. q. 30. a. 1.* Per Annun-
 tiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ.

Quod verò etiam impetraverit Incarnationem *Albert. M. in Luc. 1. docet.*
 Dicitur Dominus esse cum illa plùs quàm cum alijs: oravit enim ut dicunt Patres
 redemptionem Israel, & ipse Dominus exaudivit orationem ejus. Cum ipsa enim
 esse Dominam vocat consentire Dominum votis ejus, orationi & operibus ejus,
 ita ut verum quod dicitur 2. Reg. 7. *Omne quod est in corde tuo vade & fac, quia Do-*
minus tecum est. Similiter dicitur Josue 1. *Ego ero tecum, & non te deseram, neq. deve-*
linquam.

linguam. Oportuit ergo ut præ alijs, votis ejus consentiret Dominus, quia sic sibi eum attraxit, ut visceribus ejus se infunderet. *Bernard. serm. 4. de Assumpt.* Hac est quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit, contra enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est. *Non timea Mariam venisti gratiam, utique, quam quærebas. Richard. lib. 4. Christi erga nos benignitatem Virgini adscribit, hoc modo.* Charitas Mariæ ad nos apparuit in Annuntiatione Filij, quando respondit. *Ecce Ancilla Domini Luc. 1.* Cupiens Filium procreare, qui noster servus fieret, & ideo se nominavit Ancillam, quia partus ventrem sequitur. Quod etiam innuit Filius Patri dicens *Psal. 115. Servus tuus ego sum, & Filius Ancille tue.* Servavit enim nobis Filius Virginis de beneplacito Matris usque ad ablutionem pedum, imò usque ad tolerantiam passionis, quia Filius hominis (Ancillæ Servus) non venit ministrari, sed ministrare. Dicitur in *Psalmo: Oblationem pro peccato non postulasti, aures autem perfecisti:* Alia versio legit *perforasti,* ut apud Judæos servo eligenti servitute, cum potuisset esse liber, aures ad portam subulâ perforabantur. *Job 39. Nunquid ad præceptum elevabitur Aquila &c.* Ad hoc alludens *Richard. lib. 1. cap. 5.* Humilitas Mariæ Regem cœli attraxit ad terram, & velut Aquilam odor prædæ concupitæ illectam, carni immaculatissimæ copulavit. Simile quid *August. serm. 35. de sanctis.* O verè beata humilitas! quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit. *Bern. hom. 4. in Missa.* In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, & ecce morimur, in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. *Et serm. 5. de Assumpt.* Propterea tanto tempore humano generi fluente gratiæ defuerunt, (id est Christus non est natus) quòd nondum intercederet is, de quo loquimur (Maria) desiderabilis Aquæ ductus: sicut non consentiente Eva spiritui qui loquebatur in serpente non secuta fuisset humani generis ruina, ita non consentiente Virgine, non fuisset secuta reparatio. *Chrysol. serm. 142.* Ut homo cursibus iisdem, quibus delapsus fuerat ad mortem rediret ad vitam, agit cum Maria Angelus, quia cum Eva Angelus egerat de ruina.

August. serm. 17. de Nativit. Responde jam Virgo, assensum tuum Angelus præstolabatur: Deus in porta est, Angelus quem moras expectat, ô Beata Maria sæculum omne captivum, tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum injurias abstergi deprecatur. Unde illud *Cantic. 4.* quod vulgata habet. *vulnerasti cor meum in uno crine colli tui, LXX. legunt: Abstulisti cor meum, id est Filium cordis mei, quando suâ humilitate ita se extenua-*

vit, ac si unus crinis esset. *Rupert. lib. 3. in Cant. paulo ante finem.* Crinis unus vix comparet, humilitas vix consentit, quod computari possit inter homines. *August. serm. de Nativit. Virg.* Quæris à me (inquit Maria) quod obtulerim munus, & undè Mater effecta sim Creatoris? Oblatio mea fuit humilitas mea. Meritò *Abac. 3. Deus ab Austro venit, & Sanctus de monte Pharan. LXX. verterunt. Et Sanctus de monte umbroso.* Maria enim Mons in vertice montium, sed Spiritus S. superveniens obumbravit, seu etiam ipsius humilitas. Et *Ecclesia Catholica* non diversum canit de Virgine quam à Deo ita præparatam confitetur, ut dignum Filio tuo (Dei) habitaculum effici mereretur. *August. etiam serm. de Nativit. Domini,* sic Virginem affatur. Recole in lib: *Isaiæ* Virginem quam legisti, & gaude quia tu esse meruisti. *Idem ibid.* Talis eligitur Virgo de toto mûdo, quæ tantum haberet meritum, ut Filium Dei in se suscipere. *Chrysost. serm. de Christi Present.* Beata Mater ultra omnem naturæ humanæ modum, modestiam, ac temperamentum excoluit, & ob id universorum Dominum in utero gestare promeruit. *Hieron. Epist. ad Eustoch.* aliud meritum Divæ Matris advertit, dum scribit. Tantæ puritatis Maria extitit, ut mereretur effici Mater Dei. *Greg. in L. 1. Reg. cap. 1.* An non sublimis Maria, quæ ut ad Conceptionem Verbi Dei pertingeret, meritum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit. *S. Joseph Confessor in Men. 17. Martij ode 1.* Filius æque increatus ac Pater, in te Virgo sola reperit causam, cur similem nobis naturam indueret: Te enim reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem. Ipsam verò nos adhortantem sic loqui facit *S. Eulogius Alexand. hom. in Ramis palm.* Nè dedecores ô homo quâ ex me Deus sumpsit vestem, nè ei qui illam induit contumeliam irroget, nè injuriâ afficias Tabernaculum, revera enim nullâ manuum operâ in eo fuit cõsutum, nè lumen à carnali mea lampade separet, ut nè malè Solem extinguas, qui illuxit mundo, qui sine homine homo factus est.

Ob has causas *Theodorus Abucara opusc. 1. in fine* Virginem appellat Januam & Aditum peregrinationis Verbi ad nos. *Nicetas Colosensis Imperatorum Logotheta in Thes. orthodoxæ fidei lib. 3. cap. 38.* Jam ante mundi constitutionem ut Deus humanam carnem assumeret, constitutum erat: nunquam autem ante SSam Mariam Divinæ carnis assumptione dignum est repertum domicilium: ubi autem repertum est humanam carnem assumpsit Deus. *Guilielm. in 1. Cantic.* Nolebat Omnipotens suæ Incarnationis miraculum operari in Maria, non cooperante ipsâ: itaque non tantum ex ipsa carnem suscipere volebat, sed etiam ab ipsa, non sic olim, non sic quando soporem immisit in Adam, ut de corpore nescientis tolleretur, undè

S s

ille

ille mulierem formaret. Itaq; cum *August. serm. 1. in Annunt.* dicendum, O R. Maria quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perditio. Quas tibi laudes fragilitas humani generis per solvat? quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit. Incarnatio Dominica à Psalmista Psal. 71. appellatur Pluvia: *Descendet sicut pluvia in vellus.* D. Virgo est Nubes, juxta *Ambros. exhort. ad viduas* quæ nobis hanc Pluviam attulit. Sed quod hæc meruerit, testatur etiam *Angelus in serm. de excell. Virg. quem dicit S. Brigittæ cap. 5.* Tu ô Felix Maria virtutum plenissima, post tuam creationem Divinâ opitulante gratiâ, omnia quæ tecum Deus facere dignatus est, cum omnium virtutum perfectione dignissimè meruisti. *Chrysost. hom. de Interdict. Adam.* Confensus Mariæ peperit mundo Salvatorem, restauratur per Mariam, quod per Evam periêrat. *Et paulo post.* Redditur per Mariam Vita, quæ per Evam fuit interrupta. Denique ut *Bernard. serm. super Signum magnum.* Vehementer nobis vir unus & mulier una nocuere, sed gratias Deo per unum nihilominus Virum, & Mulierem omnia restaurantur, cum magno scœnore gratiarum, neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo. *S. Bernardus dicit serm. 51. 1. cap. 3.* Et charitatis quoque ardore etiam humanæ salvationis toto affectu desiderabat Incarnationem Filij Dei, nam & totus impetus primæ sanctificationis mentem hujus SSmæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum: proindè omnes virtutes ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit, in ea toto conamine inflammabant animam ejus. *Et postea.* Ideo nobis est inexpressibile illud desiderium fervidum, & languentis orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum, ut Filium suum mittere dignaretur ad nostrâ alluendam naturam. *Et S. Bernardus sub allegoria Aquæ ductus serm. de Nativitate Virg.* sic loquitur. Sed quomodo hic nolter Aquæ ductus fontè illum attingit tam sublimem? Quomodo putas nisi vehementiâ desiderij, nisi fervore orationis? ad hæc ergo omnia, ut ad metam collimabat Deus Filium missurus.

6. Quia in Visitatione Elisabethæ, non solum ipsa humilitate plena fuisti; quâ Deum Joanni attulisti, sed mundum ad Deum attraxisti.

Bene S. Bonavent. in Psal. quinqu. 1. Virginem S. appellat Finem iræ Dei, ecce statim ut intravit ad Joannem fecit Filium gratiæ. In cœlo ponitur signum Virginis inter Leonem, & Libram, talem noltram Virginem, id est Astram vocat *S. Hieron.*